

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CCX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

CCX.

*Salutem in Christo. Reverende & Clarissime**Vir, Domine & frater charissime.*

NARRAVIT MIHI DN. D. SULZERUS, communis noster amicus, sparsum esse judicium Theologorum Palatini Philippi Ludovici de scripto Torgensi, in quo personam meam acerbè perstringunt. Quæ causa est, ut intermittere non potuerim, quin ad te scriberem & obnixè rogarem, ut ejus scripti exemplum ad me mittas. Quid enim eos permoverit, ut tale quid contra me audeant, ne quidem divinare possum. Quod si maxime aliquid desiderassent, vel in scripto communi, aut in mea persona, majorem humanitatem de ipsis mihi pollicitus essem, de quibus sicut & ipsorum Ecclesiâ me non male meritum existimabam. Sed hoc fatum meum, ut ejusmodi merces mihi ab ingratissimis sit expectanda. Et odium Satanæ contra pium institutum Electoris & meam personam. Ego sane, qui nihil mihi mali in hoc negotio conscius, Deo totum commendo, & ipse faciet. Tu verò, unde illa habeas, aut quis tibi communicaverit, quæso mihi etiam significes. Prodest hæc scire Palatinum, cujus voluntate & jussu scio hæc sparsa non esse. Digna perfidia, quæ à Palatino puniatur, qui quis fecerit. Cæterum quod ad negotium ipsum attinet, scias in Torgensi conventu, omnia per gratiam DEI felicissime successisse. Nam de controversis articulis omnibus inter Theologos Augustanæ Confessionis agitatæ, conscripta est explicatio & dijudicatio, quam spero omnibus piis ministris satisfacturam. Ut de Peccato Originis, de libero arbitrio, de Justificatione, de bonis operibus, de Tertio usu legis, de Discrimine legis & Evangelii, de Cœna Domini, de Persona Christi, de Descensu Christi ad inferos, de Adiaphoris, de Prædestinatione,

Et si verò optassem tibi & collegis tuis exemplum transmissum, tamen cum hoc tempore fieri non potuerit, spero te negotio publico non defuturum. De quo in proximis litteris copiosius. Nunc me ad Electorem Saxonicum conferam. Quod etsi mihi molestum, & inprimis uxori meæ charissimæ valedudinariæ admodum grave & difficile, tamen major Ecclesiæ & publici commodi, quam mei aut meorum ratio habenda est. Propemodum succubui in labore isto maximo, sed per gratiam DEI nunc iterum aliquantulum respiravi. Dominus porro vires suppeditet, ut quod cœpit opus bonum, diu ab Ecclesiis nostris exoptatum, ad felicissimum finem perducat & perficiatur. Reliqua D. Sulzerus. Bene & feliciter vale & me meos.

Yyy 2

que-

que præcibus tuis Domino commenda. Raptim Maulbronnæ 14. Septembris, 1576.

Tuus ex animo frater

Jacobus Andreæ, D.



CCXI.

Sed heus tu, mi frater, quæ causa est, quod Senatus vester cunctatur in promovenda & confirmanda pia & sancta Concordia Ecclesiarum nostrarum? Vos enim subscriptionem recusare, non existimo. Quapropter te oro & obtestor, ut communem amicum nostrum, Dn. D. Ludovicum Grempium, compellare velis, ut non modo canos suos severiter Senatui monstrer, sed eosdem in canes transformare, pro publica salute latrare, & animos Senatorum excitare velit, ne hac in parte Ecclesiæ DEI velint deesse. Moveat vos non modo reliquarum Ecclesiarum consensus, sed veritas ipsa, quæ in libro Concordiæ compræhensa est. A quo si quis abhorret, aut erroris sibi conscius est, aut negotium non intelligit. Tu quoque cum Collegis officium faciatis vestrum, & quid vos deceat, intelligitis. Est enim vester consensus pius & sanctus, de quo minime dubito. Bene & feliciter vale, ut in literis. Reverenter meo nomine Dn. D. Grempio annos quam plurimos felicissimos præceris. Iterum vale. Idem etiam honestissimæ uxori & liberis vestris præcor.

Reverenter quoque D. Henricum à Mülhaim meo nomine salutabis. Eique strenuus hortator esse velis, ut ipse pro sua pietate & autoritate negotium hoc promoveat.

Tuisissimus frater

Jacobus Andreæ, D.



CCXII.

S feliciter cessit mihi peregrinatio singulari Domini beneficio, quia & apud vos conjunctissimos in Domino fratres, jucundissime relictus sum, cum primis verò colloquio tuo, & quod unice experiebam, frui mihi datum est conspectu, sermone & conversatione optimorum sanctissimorumque Ecclesiæ DEI

Aniisti-